



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Antonius M. 2. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

548 VITÆ SANCTORUM. 2. Sept.  
nutricem frequens venatorum corona  
cingeret, tutelam sinum ÆGIDII &  
preces habuit, quibus ad teli jactum  
damnati canes allatrare prædam potue-  
runt, non prehendere. Ipse Rex Clodo-  
weos libertatem cervæ, ÆGIDIO fortuitâ  
sagittâ tunc vulnerato cœnobium, cœno-  
bio dotem regiam donavit, sibi unam er-  
roris veniam oravit. Et vero non hujus  
modo, sed gravioris etiam sceleris im-  
petravit, quod quidem studiosè ille oc-  
cultavit, sed ÆGIDIUS sub devinis  
scheda annotatum è cœlo accepit, nun-  
quàm delendum, nisi stylum Rex vertis-  
set. Divus porro noster satis jam à terrâ  
lactatus ad perennes beatitatis fontes  
contendit, quos adeo appetivisse quid  
mirum est? à nutrice suâ cervâ sitim hanc  
bibit. Ex Lippeloo & Pet. de Natal.

*Vendere patrimonia & dare pruperibus  
stultitia huic saculo, sed sapientia DEO  
est. Ut contra divitiis incubare, pecuniam  
scenore augere, terminos dilatares violentiâ,  
industria & quæstus apud seculum, sed a-  
pud DEUM crimen & pœna est. S. Paulin.  
epist. 2.*

S. ANTONINUS M.  
2. Septembris.

**P**Oterat ANTONINUS è Galliis o-  
riundus sorte suâ contentus nobilem  
& in digitis anulum & in pedibus lunu-  
lam

lam jactare, sed nimium quantum ambitiosus purpuram insuper ausus est sperare, quam ut cælum illi lubentius pingeret, non dubitavit, ostro deficiente, sanguinem promittere. Incredibile enim dictu est, quàm inde à puero pro Christo hunc fundere gestierit. Et verò non passus repulsam est, æternâ præsertim virginitate candidatus: sed sacerdotio initiatus cum baculi ictu populis ad Christiana sacra adductis undas dedisset, ipse altero, sed gladii, ictu promissum diu cruorem dedit, utque hic copiosior flueret, corpus in partes sectunt, partes in aquas sparsæ. Sed præclarum ostrum, martyris inquam sanguis omnis in undis officiosus coivit, ipsæ undæ ut ne tumulto ANTONINUM prohiberent, penitus abcessere. Iam caput nobile volucres cæli mentes aquilas induta, naviculâ ad Principis Festi, quem Christo martyr pepererat, regiam usque, secundo flumine, deduxerunt. At Festus Divi ædes templum & capitis sacri monumentum esse iussit. Nos etiam pro meritis ANTONINUM laudaremus, si vel unam illæ, de quibus diximus, volucres pennam dedissent. *Ex Mombritio & Petro de Natalibus.*

*Noli contemnere plebejum, quia nobilis es, noli despicere servum, quia potens es, noli pauperem fastidire, quia dives es: nunquid nobilior, nunquid potentior, nunquid*

M m 3

quid

550 VITÆ SANCTORUM. 3. Sept.  
*quid ditior es Christo? ille pro te illa, qua  
tu despicias, elegit. S. Ambros. super  
Psalm. Beati.*

S. AIGULPHUS MART.  
3. Septembris.

**H**umiles cunas AIGULPHUS magnis  
virtutibus nobilitavit, monachus  
primò Floriacensis, tum Abbas Lirinensis  
factus. Unus certè dignus à Deo ha-  
bitus est, qui, somno monitore, opima  
illa spolia (ossa D. Benedicti) Cassino in  
Gallias asportaret. Cæterum invidia Ar-  
cadium quendam, & suo minime di-  
gnum nomine Columbum, (Pseudomo-  
nachum utrumque) excivit, qui virum &  
monasterio & vitâ ejicerent. Excepit AI-  
GULPHUS amico convivio hostes, & ca-  
sus atque in vincula datus, licet ab ipso  
custode ad fugiendum animaretur, turpi  
fugæ gloriosum carcerem prætulit. Inde  
captivus cum suis abductus, cum tem-  
pestate diebus XL. jactarentur, solus  
portum sibi petere visus est. Et petebat,  
sed beatitatis; quam quia jam unam &  
animo spirabant & ore loquebantur, lin-  
guam Columbus primo jussit præscindi,  
tum omnibus laudes DEO, quin AIGUL-  
PHO ad concionem mirâ facundiâ dicen-  
ti erui etiam oculos mandavit, gratula-  
tores puto sibi, quòd abhinc monstrum  
hoc, tyrannum monachum visuri non  
essent.